

131.

JUSTA FUNEBRIA
V I R O

NOBILISSIMO, AMPLISSIMO
atque CONSULTISSIMO

Dn. J O H A N N I
K R U G E R O,

REIPUBL. PATRIÆ CONSULI

Optimè Merito

d. XIV, Decembr. Anni MDC XCIX.

placidâ morte extincto,
Ipsis Exsequiarum solennibus,
die scilicet XX. Ejusdem Mensis
perfollebant sequentes..

Ejusdem Agnati.

T H O R U N I I

Impress. in Nobiliss. Senatus Chalcographeo.

11110




Conditur in tumulto magni Pars magna cenatus,
Kriegerus, clara qui probitate fuit.
Clarus erat magnis Genitoribus, atque decorus
Dotibus egregiis & pietate fuit.
Nunc illum claudit oculus, sed fama superstes
Nescit tam grandem succubuisse virum.
Ast tandem sletus, Tristes, compescite multos,
Dicite nunc legem fletibus atque modum.
Amplius ac oculis madidis non defluat imber.
Tristia nec fletu lumina fessa fleant.
Nescia mors flecti surde est Orantibus atque
Omnibus obscuras injicit illa manus.
Ast cum defunctus debet concedere fatis,
Terris discedens scandit ad ast Poli.

Condolens apposuit

JOHANNES HENRICUS
Wedemeyer. Thor

Gaudia



GAudia dum crescunt faustiva ex No-
(mine Christi,
Qui natus casta Virgine Matre fuit;
Lætitiâ toto dum promunt pectore cives,
Subque sua latitans foemina virque casa;
Cuncti dum applausus gurgite tollunt pleno,
Et res augustas angulus omnis habet;
En! Meta morphosis nova jam jam surgit in
(urbe
Atq; repentinus gaudia luctus habet.
Heu dolet ante diem Præfectum curia raptum,
Censoremque dolet civicus ordo piè.
Conjux percharum | defletque doletque
(Maritum
Nata cum Nato funera mœsta dolent.
His ego lachrymulas jungo socioq; tenellas,
Quando Kriegeri busta dolenda fleo,
Is mihi sæpe fuit Monitor Studiiq; Patronus
Jussit & in doctâ pergere sæpe viâ.

Hic

Hic mihi sollicitæ curæ vigilis fuit Auctor,
Amovit dubios cautus ubique dolos.
Ast cùm mœsta dies nobis hunc abstulit æ-
(quùm,
Non est, ut revocem fletibus huncce virū.
Ille malas mundi technas superavit, in Astris
Coelicolasque inter gaudia plura capit.
Ergo tristitiam compescite, sanguine juncti.
Quos etiam tandem fors inopina manet.
Ipse Deus firmo explebit solamine, quicquid
Hactenus austerùm, sollicitumque fuit.

*Jure Affinitatis beato Consuli
monumentum hoc dolori
erexit,*

Antonius Auffchwitz. Thor.

